

Hic rex occurrit, cum exercitu magnō Carolo duci (26) Francorum, qui fuit pater Pipini et avus Karoli magni [a], et Saracenos quos invenit super Rhodanum [b], Deo dante, fugavit. Sed nullus illorum, qui destructioni Faventiae interfuerant, die victoriae contra Saracenos arma potuit capere. Procedente (27) tempore parvo Astulfus [c] rex Lombardorum, qui Alioprando successit [d], sanctam Romanam inquietare cœpit Ecclesiam. Rogatus igitur Pipinus (28) rex Francorum a Romano Pontifice, cum magno exercitu in Italiam venit, et Ravennam cum xxii civitatibus regi Astulfo factibus, sub jure Sancti Petri rededit, et hic factus est patricius Romanorum.

Quando Carolus obsedit Desiderium regem Lombardorum in Papia.

CAP. V.

Postquam vero Desiderius (29) rex Lombardorum, successor Astulfi, tyrannice in sanctam romanam fremebat Ecclesiam, Romanus Pontifex, Adrianus [A] nomine, Carolum [B] regem Francorum, qui Pipino suo patri successerat, maximis invitavit precibus, ut ei succurreret. Qui omni cura postposita sui regni, cum terribili exercitu anno ab incarnatione DCCLXX.... regem Desiderium cum uxore et filiis et multis Lombardorum principibus in Papia tamdiu obsedit, donec suę se tradiderunt dominationi; quos omnes captivos secum deduxit in Franciam, remuneratis optime militibus Faventinis, et aliis de Romania (30) quamplurimis, qui tanto domino in predicta obsidione servierant fideliter. Hic rex factus est patricius Romanorum; qui, postquam audivit (quod horribile est dictum) Romanos sanctum Leonem [C] papam, in Letaniis [D] in die Sancti Marci [E], crudeliter excœcassee et linguam eius incidisse, cui Dominus omnipotens cum loquela reddidit visum (31), cum maximo exercitu in Italiam intrare properavit. Dicens igitur secum milites Mediolanenses et Faventinos [F], anno Christi DCCC (32) Romam tamdiu obsedit, donec de inimicis Ecclesie plenissime triumphavit.

[a] *Caroli magni.* C. M. saepe habet *Karoli*, et *Karolus*, et *Karolum* etc. — [b] *Super Rhodanum.* Rodanum C. M. — [c] *tempore parvo Astulfus.* Codd. pro *Aistulphus* etc. — [d] *Qui Alioprando successit.* Sic C. M. pro *Liutprando*. — [e] *Anno ab incarnatione d. cc. lxx....* sic in C. M.; reliquos numeros tempus delevit. In C. V. anno ab *Incarnatione DCCLXXII*. Cl. Muratorius hunc Caroli adventum in Italiam refert ad annum DCCLXXIII; ditionem vero Desiderii ad mensem majum anni DCCLXXVI. — [f] *In Letaniis in die Sancti Marci*, C. V. *In Litaniis in die Sancti Marci* C. M. — [g] *crudeliter excœcassee.* C. M. in verbo *crudeliter* ostendit tantum postremas quatuor literas; ideoque priores ex C. V. supplevi.

[A] *Hadrianus I.*

[B] *Carolus*, qui postea *magni* nomen promeritus est.

[C] *Leonem*, nempe III.

[D] Id est in supplicatione publica habita die xxv aprilis DCCXCIX.

[E] *Mediolanum*, tunc igitur, et Faventia Carolo, ut Italiae regi, optemperavisse videntur.